



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

579. An possit sibi applicare mulctas pecuniarias.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)



*Quaestio 578. An Vicarius Capitularis uti debeat carceribus, aliisque ministeriis Episcopi, an vero Capituli habentis alias suam jurisdictionem?*

**R**esp. Debet uti carceribus Episcopi, non Capituli. Sbroz. l. 1. q. 16. n. 7. citans Pavin. tr. de potest. Capit. sede vac. p. 2. q. 10. n. 9. quia est Vicarius episcopalis jurisdictionis devoluto ad Capitulum, & non est Vicarius jurisdictionis aliunde, etiam vivente Episcopo, competentis Capitulo.

*Quaestio 579. Num Vicarius Capitularis possit sibi applicare poenas seu multas pecuniarias?*

**R**esp. Negativè: Ea enim applicanda locis piis, ut expressè disposuit Trident. sess. 25. c. 3. ubi: ut liceat eis (nempe Judicibus ecclesiasticis) procedere per multas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus eo ipso, quod exactè fuerint, assignentur, ad quae locum ait declaratio S. Congreg. apud Gallemart. Poena fori ecclesiastici piis locis sunt applicandae. Nec valet consuetudo contraria, per quam pars poenarum applicatur Vicario, vel Camera Apostolica, etiam in minima parte. Poterit proinde Vicarius Capitularis hujus decreti autoritate id statim exequi; neque poterit sibi aliquam portionem retinere sub praetextu salarii sui; nam illud consequi poterit in fructibus ecclesiae vacantis. Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 25. citans Meroll. Theol. mor. tom. 3. d. 7. c. 7. n. 21.

*Quaestio 580. Num Vicarius possit quoque poenas, etiam ad quas quis damnatus à defuncto Episcopo, remittere, & à censuris absolvere.*

**1.** **R**esp. ad primum: Probabiliter potest remittere poenas tam à seipso, quam à defuncto Episcopo, aut etiam à Capitulo sede vacante (spatio nimirum illorum octo dierum, quo ante constitutionem Vicarii administrabat per seipsum) inrogatas. Potest enim id ipsum probabiliter Capitulum, ut vidimus supra. Et sic quoad poenas ab Episcopo defuncto inflictas de Vicario Capitulari tenet Ventrigl. loc. cit. nu. 2. quamvis is videatur respectu Vicarii requirere ad hoc specialem Capituli commissionem; dum ait: Capitulum, & ejus Vicarius ad id facultatem habens potest facere gratias, & remittere poenas, etiam ad quas Episcopus praemortuus subditos condemnavit. Quod saltem speciali commissione non videtur egere quoad remittendas poenas, ad quas ipse ex generali commissione condemnavit, etsi secus videatur quoad poenas à Capitulo ipso inflictas.

**2.** **R**esp. ad secundum, absolvere quoque poterit Vicarius ab excommunicatione (idem est de aliis censuris) Fagn. in c. pervenit, de sentent. excom. nu. 16. citans gl. in cap. unico, de major. & obed. in 6. v. juris. (loquitur autem Fagn. in specie de absolutione ab excommunicatione canonis, sive ob percussione clericis, si ea levis sit.) Sbroz. l. 2. q. 172. nu. 4. citans Rebuff. in pr. tit. de devolut. n. 63. Pirh. ad lit. de off. Vicar. num. 73. ubi: Vicarius, sive is, quem Capitulum ut administratorem constituit, potest excommunicatos à jure, vel ab homine, v. g. ab Episcopo mortuo, vel ejus Vicario, vel Delegato sede Episcopali vacante absolvere, sicut Episcopus possit, si viveret, nisi à sede Apostolica id fuerit ei interdictum, &c. Vide de hoc dicta supra de Capitulo; ea enim omnia poterit ejus Vicarius. Idque absque speciali ejus mandato: si

enim sine eo excommunicare potest, ut dictum paulò supra, potest etiam sine eo absolvere: excommunicatus enim ad suum excommunicatorem remitti debet absolvens ab eo, Sbroz. loc. cit. nu. 1. juxta c. pastoralis, de off. ordinar. & ibi Felin. n. 9. sunt enim convertibilia condemnare & absolvere, ita ut, qui potest unum, possit & alterum. Sbroz. nu. 2. citans Menoch. de arbitr. iudic. l. 1. q. 43. n. 3. & seq. & potestas data ad ligandum commissa quoque est ad solvendum. Innoc. in c. prudentiam. nu. 9. de off. deleg. Abb. in c. nuper, de sent. excom. v. excommunicatus, & alii apud Sbroz. cit. n. 2. qui tamen hoc ipsum loc. cit. n. 14. limitat: ut si alicui, v. g. Vicario esset tantum sententia excommunicationis delegata, tunc si excommunicavit, non possit absolvere, nisi hoc ipsum in commissione dicatur. Pro quo citat Borgal. tract. de irregul. & disp. p. 6. tit. de absol. à major. excom. nu. 29. De cetero posse Vicarium absolvere ab excommunicatione, etsi sacerdos non sit, ed quod hac absolutio, uti & ipsa excommunicatio sit actus jurisdictionis, habet Sbroz. loc. cit. n. 7. citans pro hoc Calder. in c. ab excommunicato, de rescript. n. 6. &c. quamvis num. 11. subjungat, Vicarium non sacerdotem honestè facturum, si committat absolutionem sacerdoti, qui simul à culpa seu peccatis, & ab excommunicatione absolvat. Pro quo citat Abb. in cit. c. ab excom. n. 16. & Hostiens. ibid.

*Quaestio 581. Vicarius Capitularis an dispensare possit in casibus, in quibus dispensat Episcopus?*

**1.** **R**esp. Poterit id utique, ubi Capitulum ei omnimodam auctoritatem, etiam ad ea, quae speciale mandatum requirunt, concessit; poterit enim tunc omnia exercere, & facere, quae potest Capitulum ipsum, sive jurisdictionis sint necessaria, sive gratia. Ventrigl. cit. annot. 15. §. 2. num. 37. Jam verò Capitulum, ut vidimus supra, in casibus istis dispensare potest. Num verò dispensare sit ex illis, quae requirunt speciale mandatum Episcopi respectu Vicarii sui, Capituli respectu Vicarii Capitularis, non convenit inter AA. Pro negativa sententia facit, quod dispensare sit jurisdictionis, ut Decius in c. ut si clerici, de adulteris, de iudic. nu. 21. Cardin. ibidem in 4. not. quin & ut dictum supra, dispensare non sit actus merè voluntarius; cum saepe expediens sit, imò necessarium, dispensare cum subditis. Ea autem, quae sunt jurisdictionis, possit Vicarius exercere sine speciali mandato, ut Federic. cons. 130. Felin. in c. eam te, de rescript. nu. 17. Abb. in c. quoniam, de off. deleg. & plures alii apud Sbroz. l. 2. q. 35. nu. 2. Et in specie de Vicario Capituli sede vacante, quod possit dispensare sine speciali mandato, tradit Rebuff. in pr. benef. tit. de devolut. num. 63. quem tamen inconstancia arguit Sbroz. loc. cit. n. 3. ex eo, quod tit. de form. Vicar. Archiep. n. 43. contrarium teneat de Vicario Episcopi. Quod num justè faciat, non satis liquet, cum plura sint, ad quae speciali mandato eget Vicarius Episcopi, quam ad quae eo eger Vicarius Capituli; pluraque libi reservare posse videatur Episcopus, quam Capitulum; adeòque non sit in hoc omnimoda paritas inter Vicarium Episcopi, & inter Vicarium Capituli. De cetero pro affirmativa quoad Vicarium Episcopi, quod is egeat speciali mandato ad dispensandum, stant Sbroz. cit. n. 3. & quos is citat Calder. cons. 1. tit. de off. Vicar. Felin. in c. ut si clerici, n. 22. Cuch. Inst. Jur. Canon. de Vicar. Episcopi. num. 62. & 111. Borgal. de irreg. & dispens. c. fin.